



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt VIII. Opinamenta de mansionis Decreto. Sensus Pontificis.  
Querimoniae Lotharingi. Maturata Vicecomitis missio. Noua prorogatio  
Sessionis, & quâ formâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

1562. piæ propriam non esse, sed nostris regionibus communem; nimirum, ut si quis affinis magni nominis, supremusque Moderator illius regni, quod alter repræsentat, occubuerit, hic eo die quo nuntios accipit, à luce publica se abstinere, ac domi persistat? Neque comperio in tot monumentis, suspicionum ut assolet plenis, id cuiquam in mentem venire. Quin longè abest à vero, quemquam ex illis Episcopis eo die licenter in Pontificiam auctoritatem fuisse locutum. Aliàs id egerat solus Beauquerus, sed egerat coram Lotharingo, qui molestiam ex eo præ se tulit\* (sicut etiam ex reliquorum Gallorum sermone, qui sententiam eius sententiæ contrariam dixerunt) cum genam semper manui innixam teneret, dum ille loquebatur, & postea Beauquerum nauiter obiurgaret. Nec licet credere, id ab illo simulatum ex arte, prout Suauis autumat; tum quia maiestatem huiusmodi Princeps non aded demisisset, cum certè ea simulatio aliquibus tunc detegenda esset, & re ipsa cunctis postmodum aperienda; tum quia nimis sanè illius æstimatio lædebatur, nimisque suæ gratiæ pretium eleuabatur, dum palàm ferret, ipsum maximum quidem esse, sed non rectorem suæ cohortis. Quare potius huiusmodi æstimationis sollicitus, cum audiret Guidum Ferrerium Antistitem Vercellensem, qui secum familiaritatem aliquam contraxerat, sibi dicentem, haud verum videri id quod ipse de suis Gallis prædixerat; Illos à se minimè dissensuros, respondit, tametsi quidam viderentur tunc à se verbis discordare; cum ad rem ventum esset, cunctos sibi assensuros. Vnusquisque existimationis suæ anxius est, nimirum ut sibi propria censeatur ea dos, cuius gratiâ ab aliis honoratur; hæc autem in Principibus præcipuè potentia est.

\* Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 6. Decembris 1562.  
f Arcanæ notæ Gualterij ad Borromæum, 9. Decembris, 1562.

† Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 17. Decembris, 1562.

## CAPVT VIII.

*Opinamenta de mansionis Decreto. Sensus Pontificis. Querimonia Lotharingi. Maturata Vicecomitis missio. Noua prorogatio Sessionis, & quâ formâ.*

**S**Ed reuerà suæ quisque mentis ductum sequebatur; atque hinc erat quod non minor à Patribus prolixitas adhibebatur in dicendis de nouo mansionis Decreto sententiis, quàm usurpata fuerat super Episcoporum institutione: vnusquisque hanc dicendi longitudinem in alius vituperabat; sed vnusquisque eam in sua sententia retinebat. Cuncti vociferabantur, superuacua esse præc-

denda;



denda; sed sibi quisque persuadebat, quidquid sibi succurreret, utile ac necessarium fore. Legati parcissimè potestate utebantur; Deum imitati, qui peccata permittit, ne libertas arbitrij aliis coarctetur. Lotharingus spe fraudatus, quam sibi de vniuersali sententia suæ comprobatione sponderat, id sibi repugnantibus vitio vertebat, dicens, Sibi persuasisse, nacturum se meliorem Synodum, nec adeò obstinam<sup>a</sup>: sed vt nemo suam in dicendo superfluitatem animaduertit, ita quoque nec in opinando pertinaciam agnoscat. Quapropter vnusquisque aduersarios existimat obstinatos, tamquam inflexibiles à falso; se constantem, tamquam inhærentem vero. Lotharingus itaque tam abhorrentem ab his agendi rationibus animum præ se gerebat, & de ipsis tam tristitia ominabatur, vt Pagnano, abeundi Mediolanum veniam ab eo petenti, natalitias Domini ferias cum suis celebraturo, commiserit, renuntiaret Piscario, Non solùm ab eo Concilio nihil boni sperandum, sed aliquod schisma metuendum: se, Gallosque breuè abituros esse, sed antea contestatos, vbi primùm ad id occasio sibi præberetur.

2 Complures viri pij propter hæc dissidia afflictabantur, considerantes in ipsis Ecclesiæ Catholicæ dedecus: alij rem altius subeuntes, animaduertebant in Diuinis hisce permissionibus manifestam confirmationem eiusdem Ecclesiæ, cuius primarius articulus, & quasi fundamentum, ac discerniculum à cunctis hæresibus est, Caput adspectabile ac supremum Religionis fateri; experimento siquidem compertum erat, quònam redigeretur Ecclesiasticum regimen, si ab vno Capite subtractum constitueretur in libera potestate omnium Episcoporum, à nemine pendentium, quando etiam tum, cum vni subessent Capiti, ea rerum confusio nascebatur, quia Caput ipsum indulgens tempori, potestatem in ipsos remissiùs exercebat.

3 Tres erant de Decreto præcipuæ sententiæ<sup>b</sup>. Alij declarandum putabant, mansionem esse Iuris Diuini: sed horum numerus ac feruor, quantum comperio, diminutus admodum erat; non quòd à multis id pro vero non haberetur, cum innotuisset Vicecomiti<sup>c</sup>, cœtum Theologorum à Lotharingo coactum, pro hac parte consensisse; sed quòd animaduersa necessitate committendi iudicio Pontificis legitimas absentia causas, satis intelligebatur, ex huiusmodi definitione plurimum fragorem, minimum ictum secuturum.

Alij nolebant ultra progrediendum quàm ætate Pauli III. statutum fuerat, peculiaribus tantummodò excusationibus adiectis.

Tertia opinio propositam Decreti formam admittebat, sed singulis

1562.

<sup>a</sup> Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 17. Decembris 1562.

<sup>b</sup> Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, & Fuscararij ad Moronum, 14. Decemb. 1562. & alia litteræ illius temporis.

<sup>c</sup> Litteræ Vicecomitis ad Borrom. 1. Decemb. 1562.

Historia  
Concilij Tridentini  
Lib. III.



1562. gulis tot ac tam varias mutationes postulantibus, vt qualibet istorum sententia quoddam quasi peculiare Decretum proponeret.

Mira quidem narrabat Gualterio Lotharingus de stimulis, quibus ab Hispanis Episcopis concitabatur ad ineundam secum societatem; & addebat, etiam fuisse qui Metensi Episcopo gratias ageret ob adhibitam ab eo dicendi libertatem, de qua diximus; & à Fabro Oratore, qui ab aula redierat, mandata recentia delata fuisse, vt molesta Pontifici proponerentur; idque quasi ex indignatione, ob conditiones quibus per Abbatem Nichettum centum aureorum millia Pius in Galliam subsidium miserat: pollicebatur tamen, se huiusmodi postulata præpediturum. Verum suspicio fuit, voluisse Cardinalem suæ potentiaæ pretium, suæque operæ meritum attollere, cum ex altera parte Gualterius compererit, illum Gallorum Præfulum arbitrum non esse, cum interfuit acri certamini inter ipsorum tres, omnino & absque limitatione mansionem Iuri Diuino referentes, & ipsum Cardinalem hoc impugnantem. De querelis aduersus Pontificem, ob conditiones subsidio appositas, non destitit Gualterius Lotharingo palàm facere, Nimiùm inter se dissidere ac repugnare, quòd Rex opem petat ab eo brachio, ex quo eodem tempore sanguinem extrahit vires illi suppeditantem, dum aufert ab Apostolica Sede antiquissimam exactionem variorum prouentuum è Gallia Sacerdotis: nec habitam aduersus nouum hoc edictum sanctionem satis esse, quin in ea prætermittas videri per insolitam affectationem conditiones quasdam, quarum silentio huiusmodi sanctio nullius esse roboris apparebat.

Sed non ita Gualterius causam Pontificis adiudicabat in sinistra persuasionem, quam aduersus Lotharingi animum retinebant. Id in causa erat, vt assidue angeretur, dum in dies exacerbatur Cardinalem offendebat aut nouis Româ litteris, aut nouis Tridenti narrationibus, quæ ipsi referebant suspiciones, semper renascentes illic in Pontifice, hic in Simonetta, & in duobus Episcopis, quibus cum hic arctius connectebatur, hoc est in Castanea & Boncompagno; in quos incredibile est quantum indignationis præ se ferret Lotharingus, haud præuidens, in duobus illis capitibus futuram maiestatem, quam in præsentem conditionis mediocritate incomprehensibilis Prouidentia contegebat.

d Litteræ  
Borrom. pe-  
cultares Mâ-  
tuano, &  
communes  
Legatis, 5. &  
12. Decemb.  
1562.

Instabat iam præstitutus Sessioni dies: cumque tam pauci verba fecissent de mansionis Decreto, & anceps adhuc penderet doctrinæ quæstio plurimùm exagitata, Legati nouæ moræ necessitatem animaduertebant. Et planè id temporis variæ litteræ<sup>d</sup> Româ



mâ delatæ, responsa super duobus Canonibus à Lotharingo propositis, ac de re vniuersa, reddiderunt: quæ litteræ tam fidenter ex vna parte recitantur à Suauis, vt eas in autographis idem ipse lustrasse videatur; ex altera tam falsò, vt palàm faciat, se fortuità temeritate de iis scripsisse. Dicit, Pontificem significasse, falsam & erroneam esse sententiam, quæ iurisdictionem Episcoporum refert ad institutionem Christi: Missam ab eodem fuisse ad Legatos præcisam exagitati Canonis formam, quo definiretur, Romano Pontifici fuisse traditam à Christo auctoritatem destinandæ, ampliandæ, restringendæ iurisdictionis Episcoporum: In Decreto de mansione imperasse, ne Catharini sententiæ nota inureretur.

6 Nihil huiusmodi scripsit Pontifex; sed Legatis significauit, in forma Canonis à Lotharingo producta, eos qui Romæ ad id selecti fuerant, ac præsertim Theologos, in varias difficultates impingere, adeoque varias mutationes ab ipsis desiderari, quæ propter argumenti grauitatem tam citò digeri non possent; idcirco à se tria proponi:

Primum, sibi que acceptius, illud erat, quod antea proposuerat Lotharingus; videlicet, vt ea quæstio de institutione Episcoporum, tamquam inutilis, implicata ac periculosa, supprimeretur: mirum quippe videbatur, dogma Fidei constitui inter tot appositas sententias, quo necesse foret in alterutra parte damnare complurium insignium sanctorumque Scriptorum opinionem: sperari, promotum iri à Cardinali rei exitum, quemadmodum consilij auctor fuerat, vt proinde honorem integrum sibi redundaturum prænosceret.

Quod secundo loco & exponebatur ab epistola, & optabatur à Pontifice, erat, Vbi Patres ad hanc prætermissionem adduci non possent, vt saltem, quoniam res nondum satis digesta videbatur, in imminente Sessione seponeretur.

Postremum, vt si hoc quoque inflammati animi respuerent, ipsa Sessio retardaretur, pro eo consilio, quod etiam alioqui Legatis dederat Pontifex, quò illa locupletior ac splendidior euaderet, comprehensis pariter articulis Matrimonij. Nunc verò præter eam causam impellebatur à communi regula confugiendi ad efficaciam temporis, vbi multitudinis æstum temperare opus est; cum temporis ingenium sit, omne violentum coërcere, & ad medium extrema quæque reducere. Quare scribebat, vsque ad Idus Ianuarias posse Sessionem differri; & propter dierum hiemalium breuitatem non compelli Patres ad laborem bis quotidie conueniendi, ad quod etiam præter hoc Præsides coëgit Patrum lassitudo & querimonia.

*Part III.*

P p

Deni-

Historia  
Concilij Tridentini  
Part III.  
Sessio III.



1562.

Denique ipsis expendendum proposuit; cum in Ordinis Sacramento de vniuersa Hierarchia Ecclesiastica sermo sit, par videri, ne præteriretur silentio ipsius Caput, quod est Christi Vicarius; sed vt de ipso loquerentur aut iisdem verbis paulò antè à Florentina Synodo usurpatis, aut aliis nihilo inferioribus.

• Litteræ Legatorum ad Borromæum, 14. & 17. Decemb. 1562.

His mandatis acceptis, censuere Legati fieri non posse vt omittetur quæstio, aut locupletaretur Sessio<sup>e</sup>, quamuis prorogata, aliorum argumentorum additamento; quin præuidentes, ob necessariam prolationem se nimium prætergressuros & voluntatem & opinionem Pontificis, neque confidentes, posse illi rem ipsam satis exprimere breui languidaque litterarum operâ, statuerunt tempus anteuertere, mutatoque missionis sine Vicecomitem Romam mittere, non expectatis Lotharingi petitionibus, quas seposuere mittendas postea siue per Antinorum, siue per alium nuntium. Etenim induxerant in animum, neminem positurum ob oculos Pontificis ac Borromæi præsentem imaginem Concilij æquè viuide ac ille Præful, quippe qui spectator adfuerat maximè intimi, & auctor maximè ardui, & cui nec Pontifex fidem abrogaret, vt pote sibi fido<sup>e</sup>, neque Borromæus, vt pote sibi cognatione coniuncto.

f Acta Paleotti.

g Diariū 16. & litteræ Legatorum a Borromæo, 17. Decembris: & Acta.

Interim die decimosexto Decembris<sup>e</sup>, cui præscriptus Sessioni proximè succedebat, Seripandus Patribus in cœtu dixit, Dementem se fore, si vocaret in quæstionem, haberi necne posset Sessio postredie: dubitationem solùm cadere in causam prorogationis. Præsides accusatores esse simul & accusatos; accusatores quidem aliorum prolixitatis, accusatos verò ob tolerantiam illius prolixitatis: huiusce accusationis titulum sibi grauem non esse, ex qua tandem ipsis attribuebatur demissionis ac patientiæ excessus. A se tamen quâ possent animi efficaciam Patres enixè rogari, vt in posterum sibi temperarent. Ætate iuuenili legisse se apud nescio quem Poëtarum: *Pastorem pingues pascere oportet oues*. Id sibi ad rem accommodatum videri: meminissent, gregem à pastore pascendum esse, non alios pastores, quales illi erant, quorum auribus vnusquisque Patrum verba faciebat, longè progressus ad doctrinas eiusmodi auditoribus notissimas: in his frequentibus dilationibus quæsitam ab amicis fuisse laudis materiam, sed minimè inuentam: quæsitam ab inimicis materiam vituperationis, eamque inuentam fuisse, cum illæ discordiam, altercationem, pertinaciam præ se ferrent. Duo in præsentia fieri posse: alterum erat, retardatio Sessionis ad incertum diem, vbi res parata esset, declarandum: ad id obiici à legisperito, diem Sessionis, quippe sententiæ, oportere



tere certum esse, ac prænuntiatum : alterum erat, constitutio diei 1562.  
certi intra quindecim dies habenda, quantum planè ex eo anno supererat. Eligerent Patres quod in rem opportunius arbitrarentur.

Posterior modus vniuersè placuit ; sicuti semper ex duobus consiliis acceptius est, quòd ampliorem potentiam acceptantibus relinquit. Atque ita quarta prorogatio habita est.

C A P V T IX.

*Tradita Vicecomiti mandata à Legatis cùm ad Pontificem mittitur. Adhibita à Gualterio studia ad amouendas iterum suspiciones & acrimonias inter Pontificem & Lotharingum.*

**P**ost hæc, Legati Vicecomitem dimissuri, in spem venere posse ab eo simul Gallorum postulata deferri, cùm viderentur hi iam parati ad ea statuenda. Verùm vt legis vinculum apparet sericum ordienti, & ferreum accipienti; ita inter ipsos Gallos discordia orta est: siquidem Oratores studebant Episcopos obstringere ampliùs quàm eorum Episcopi pati vellent. Quapropter emendationi, quam illi ab vniuersa Ecclesià exigebant suorum Præfulum operà, iidem ipsorum Præsules omnium primi repugnarunt. Proinde Legati rei cunctationem animaduertentes, abruptâ morâ Vicecomitem cum huiusmodi mandatis dimiserunt.

**2** Illum duarum rerum gratiâ<sup>b</sup> à se mitti: Vt se purgarent insimulationibus in se iactis apud Pontificem, & vt certiores redderentur de ipsius voluntate super præsentibus Concilij negotiis.

Duas esse insimulationes: alteram quod hanc disputationem de septimo Canone fuissent ad eò progredi, vbi oportuisset os occludi contententibus importunè illam inducere. Super hoc rei series denudò retexebatur. Monebant, antequam Canon Patribus proponeretur, fuisse à Seripando recitata verba illa de Iure Diuino, parata iam viuente Crescentio Legato. Commemorabant turbas & contestationes habitas ab Hispanis, testimonium Aialæ de rebus sub eodem Legato decretis, conuictum postea à Mantuano Actis legitimis; & quidquid præterea contigerat ante & post aduentum Lotharingi. Porro consideraret Pontifex, quantum perturbationis excitari potuisset, si ratio violentior fuisset adhibita ad coërcendos Patres ab illius articuli tractatione, vbi aderat ea capitum frequentia, nationum varietas, ceruicum durities, ardor contentionis.

**3** Secundo loco ipsis imputari, ad nimis angustum tempus Sessionem

<sup>a</sup> Litteræ Legatorum ad Borromæum, 28. Decembris 1562.

<sup>b</sup> Extant in scripturis post narrationem Muffetti positis.

Historia  
Concilij Tridentini  
Sessio III.